



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 16. Decreta in quodam Conventu sancita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.

quam Galli Tridentinam Synodum, ut reformationis capita recensentes memorabimus, recipere recusaverunt, eo quod hoc decretum contra priscos Canones Metropolitæ, ac Provinciæ Præsulibus Episcopos judicandi auctoritatem adimeret.

Supererat adhuc circa Jurisdictionem Episcopalem quidam articulus, quem Patres moderari petebant. Concernebat hic *degradationes*, quæ haud aliud est, ac quædam censura, vi cujus Ecclesiasticus in perpetuum Ordinis sui exercitio, ac beneficio Ecclesiastico privatur. Frequens erat circa hoc caput disceptatio, dudumque hæc quæstio in Patrum Conventu agitabatur, nec tamen Synodo consultum fore visum est, hujus pœnæ usum abrogare: Unde duntaxat illam mitiorem reddendi media excogitabantur, ut hujus sententiæ executio cum minori severitate, ac parciore sumptu fieri posset. Hanc ob rem promulgabatur caput quartum de reformatione.

§. XVI.

*Decreta in quodam Conventu sancita.*

Interea Legatus circa ea, de quibus Papam consuluerat, ab eo responsum accipiebat, hancque in rem habito conventu generali præprimis referebat

bat omnes rationes, quas Montfortius Sæcul. XVI.  
Comes circa publicæ fidei tabulas Pro- A. C. 1551.  
testantibus dandas, nec non circa quo-  
rundam articulorum dilationem de usu  
Calicis proposuerat. Addebat Legatus,  
hasce Comitibus rationes sibi haud ini-  
quas videri, de cetero autem, quod to-  
tam rem ad Pontificem perscripsisset,  
reticebat, subjungens, quod aliquam-  
diu, quamvis juxta decretum Sessionis  
die prima Septembris habitæ de Sacra-  
mento Eucharistiæ ageretur, idque ne-  
cessario agitandum foret, nihilominus  
præcipuorum quorundam articulorum,  
qui adhuc controversi sunt, decisio abs-  
que præjudicio differri posset. Hac de  
re Patrum suffragia colligebantur, qui-  
bus inspectis omnium sententia eo abi-  
bat, ut publicæ securitatis literæ Pro-  
testantibus darentur, hinc mox Præ-  
sidentibus illas expediendi cura est deman-  
data: Ubi vero de differenda discussio-  
ne, quæ articulum circa Communio-  
nem sub utraque specie tangebatur, age-  
batur, contendebant non pauci, Pro-  
testantibus nihil esse indulgendum, nisi  
saltem se ad Synodum venturos, illius-  
que decisionibus submissuros polliceren-  
tur: Porro illi, quibus mitior erat in-  
doles, respondebant, satis Concilii auc-  
toritati cautum esse, eo quod ipsimet  
Protestantes hanc dilationem fieri po-  
stulaf-

Sæc. XVI.  
A.C. 1551.

stulassent. Horum consilium sequebantur ceteri. His ita statutis inter alios articulos proxime discutiendos proponebatur quæstio de Communione infantum, atque articulus de tollendo Calicis usu in tria capita dividebatur, ut magis distincte exponeretur, nec quæstio jam antea decisa ob unicum quoddam caput alias oblivione sepultum rursus ageretur. Cuncta hæc Patrum consilia per capita, & Canones de Eucharistia fuere approbata, sicut etiam articuli de reformatione; sancitum tamen, ut nullatenus in decreto hæc verba ponerentur, *quod Protestantes ad preces cujusdam Præsulis Germani in Synodo audiri postularint*, cum Protestantes id non sine Synodi dedecore negare possent: hinc correctis hisce verbis potius addebatur, quod Protestantes audiri duntaxat desiderent, cum id haud dubiæ fidei esset, eo quod Protestantes id in variis occasionibus ipsimet falsi fuissent. Porro publicæ securitatis diploma conficiendi cura relinquebatur Præsidibus, qui Viros hujus rei gnaros in consilium vocabant.

## §. XVII.

*Sessio decima tertia Concilii Tridentini.*

Lahbe Coll.  
Conc. p. 404.

His ita dispositis necessaria parabantur ad Sessionem decimam tertiam, quæ